


91

IMPERATOR CÆSAR<sup>91</sup>  
MAXIMILIANVS I.  
PIVS, FELIX, AVGVSTVS,  
R EX GERMANIÆ,  
DALMATIÆ, CROATIÆ,  
ARCHIDVX AVSTRIÆ.  
PRINCEPS BELGARVM, ET BVRGVNDIONVM  
DVX STIR., CAR., CARNIOL., SVEVIÆ., LANDG. ALS.  
COMES HAVSPVRGI TYROLIS &c.



Egia flumina quò longius discurrunt , eò & ex-  
currunt latius amplificatā aquarum veluti ma-  
iestate ex popularibus minorum fluuiorum  
tributis : ita grandescit tibi accedens Autriæ  
tux Imperatricis Gentis felicitas , quam MA-  
RIA ANNA è maximorum Cæsarum san-  
guine sata Dotalem tecum auehis , maiorem  
etiam allatura , cùm fueris Regum Mater. Quis  
enim fulgente aureâ stellarum familiâ , purpu-  
rascente inter sua radiorum rosaria Aurorâ ,  
ex magnis maiora non expectet lucis incre-  
menta , nimirum ex illustri Aurora puerperio serenissimum Infantem So-  
lem ? MAXIMILIANVS hic tuus è nominis sui mensura maximus , cā-  
dem magnitudine rerum gestarum se se explicans , par orbi terrarum no-  
men impleuit , futurus etiam fine MAXIMILIANI nomine à rebus ge-  
stis maximus . Adeò præscia Numinis prouidentia nomina aliqua fingit ,  
atque erudit , vt diuinitatis arcana , ex solâ nominum diuinatione pandan-  
tur . Prisci Cæsaris Maximiani nomen visus est sibi usurpare , vt codem  
cum ipso cognomento , tot hostium victor , subactorque regnorum noster  
Austriacus potiori iure diceretur Herculeus , cum præsertim catenulis au-  
reis ex ore fluentibus , vt de suo Hercule fabulati sunt Galli , incredibili di-  
cendi suauitate , summos amores sibi conciliaret omnium populorum ,  
quos catenatos veluti trahebat in triumphum post currunt cloquent &  
victoris .

1459.  
Kal. Ap.

Ex Patre FRIDERICO Pacifico ortus, & Auo ERNESTO Ferreo  
 vtrunque miscens, indolem hausit totam ad belli decora factam, & pacis  
 ornamenta. Et sanè dixisse tres regias charites omnium numerorum  
 bellicam fortitudinem, omnium artium ciuilem sapientiam, omnium vir-  
 tutum augustam pietatem, ad Austriaci MAXIMILIANI granditatem  
 ita coniurasse, vt non solum Cæsarem crearent, sed & inter Cæsares Ma-  
 ximum. Hanc fortitus est genitaram felicissimam è gentili suo Cælo,  
 in quo nullum non fortunatissimum fidus eluet.

*Insigni  
 miraculo  
 ex cultu  
 Augustis-  
 simae Eu-  
 charistie  
 seruatur.*

1472.

13. Ap.

Prima ætas gemino prodigo è Cælo consecratur, summâ, & MAXI-  
 MILIANI pietate, & Numinis prouidentiâ, unde stetit in vnico Stirpis  
 Augustæ traduce, in quo tota spes posteritatis germinabat, Austriaca Pro-  
 pago, seruatumque est primogenei Eucharistici Epuli religione, quâ funda-  
 tum Austriacum Imperium, eadem vi seruante ferè semper sicuti alia  
 omnia, ita etiam regia germina, quæ feliciter produxit. Cum enim è  
 confragosæ rupis supercilio, quod MAXIMILIANVM adhuc ephebum  
 procul à palatinis Proceribus, qui lateri adhærebant, alijsque asseclis ho-  
 norarijs, & circumpedes comitantibus, æstrum venationis per accluia, &  
 decluia ænipontanorum montium rapuerat, penderet, inaccesso prorsus,  
 & imperuio, nec pedem inde retrahere posset, vliusue ope iuuari,  
 hiante infra sexcentorum pedum crepidine, ad diuinum prorsus consil-  
 lium confudit. Acciri iubet ( audiri enim vox loquentis poterat ) sacram  
 Mystam, qui sublime Eucharisticum nectar, delibandum faltem oculis,  
 exhiberet, sperans salutari illo viatico etiam tantum adorato, tutum sibi  
 fore, aut ascensum ad cœlum, aut descensum in terras, cō paratus ire, quod  
 rerum Dominus, & Cœli, terræque Imperator Dei nutus inclinaret. Ita  
 tota Austriaca Domus immensa moles miserando spectaculo, inter Cœlum,  
 terramque librata, è cubitali montis vertice ruitura nutabat; si tamen nu-  
 tare poterat Domus, quæ licet totius fere terrarum orbis circumferentiâ  
 coronata, centrum habet in Cœlo, atque ipso firmamento firmatur.  
 Impositus montibus innocens Gigas, passis manibus piè Cœlum expugnat.  
 Euocanti itaque è Cœlo auxilium Regio Impuberi Deus liberalissime  
 annuit, & addito prodigo cumulatissimum indulxit. Accurrere è cœlesti  
 Aulâ iubetur Angelus sospitator ( illum fuisse piè aliqui autumant, quem  
 eius custodiae a primo vitæ limine in hac peregrinatione terren à Deus de-  
 stinarat, omnium horarum comitem ) sub montani pastoris personâ ab-  
 scendens nobilem Cœli formam, qui liberato Augulio Principe statim se-  
 se omnium oculis eripuit, ac sibi se reddidit, qualis spectatur à solis supe-  
 riis, rusticum hominem exiens, coloresque nostrates. Ephebi regi  
 pietas adeò feliciter causam suam Cœlo, è quo, cum proximus illi esset, pu-  
 riorem spiritum hauriebat, probauit, vt supra vnum Fabium maximum  
 maior, vnicus tot Heroum Hæres, tot Cæsarum, & Regum germen, &  
 stirps ad columen Austriacæ Domus, Germanici Imperij, Hispanæ Mo-  
 narchiæ, ac fere dixerim Orbis terrarum seruari mereretur. Nullas sentit  
 decumanas vndas: ex omni naufragio fides enat. Nec difficile fidei  
 fuit, operosumque turbinatum montis superciliū exequare, cui vis in-  
 dita è Cœlo est plusquam gigantea ad montes transferendos. Ita uno  
 ferculo

ferculo tot a Austriaca Familia moribunda seruat ad vitam, & mortis antidoto ad immortalitatem initiata, eo, quo condita, propagatur, firmaturque tutelari Deo in Eucharistico Solio æternarum gratiarum. Hem quanto miraculo testatum videmus Eucharistiam Augustissimam Palladium esse Austriacæ Domus, quæ in extremis rerum articulis ad thaumaturgum Cœli Panem accurrens, toties prodigia patravit ingentia! Scit iam cui astro gratias debeat siue nascatur, siue seruetur Austriaca Familia. Nec mirum inde posteros Herōes CAROLVM, PHILIPPOS, & FERDINANDOS, & Heroinas, MARIAM, ELEONORAM, onnesque fere Austriades, raptos fuisse non actos tantū ad Eucharistici Epuli venerationem inusitato ardore, eo nomine Cœlo, terrisque spectabiles, & maximos. O grandem, robustamque in Regio Impubere fidem! O palmaria tyrocinia triumphalis Austriacæ Pietatis! Posteri creditis? est ne factum in tota antiquitate religiosius? sed credite res ita gesta est. Adhuc prodigijs locus in celsissimo prope Aenipontum monte, liberatā periculis viâ, signo Cruciarj Christi è cruce pendens insignis obsidem Austriacæ Pietatis, ac testem prodigijs memoriam consecrat, & illhac prætereuntiū admirationem trahit, prouocatque venerationem. Non aliud erigendus erat, qui seruaret tanti Miraculi Eucharistici granditatem, transmitteretque in æuum nobilem famam Obeliscus, & Colossus, quam crux Christo Patibulato signata. Stabit ruinosum ænipontanum hoc tanti triumphi capitolium, æternis cum illo monte radicibus abyssum premens, Cœloque sublime, & solium Austriacæ Potentiaz, è quo adhuc imperante MAXIMILIANO ih CAROLO nepote per omnes mundi partes Europā, Asiam, Africam, Americam regnauit, sustentabit. Initiatus magno prodigo MAXIMILIANVS impubes ad omnem felicitatem cœpit adolefcere, & ad omnem virtutum apicem connolare, religiosiori ad Regnum inauguratione ex adoratione Eucharistici Solis, quam olim Periarum Monarchæ solis nostratis aspectu.

Prima post laureatam pietatem laurea, quasi de paterno Pacifici Friderici stipite, surculi nobiles, a pacatis artibus fuere, Eloquentiæ, & Historiæ, quibus suam etiam intexuere de laureto apollinari patnassiam Musæ. Ingenitam dicendi suadam, quæ plurimum valebat, ut cum maiestate publicaret, & Imperatricem daret, omnium populorum, quibus imperitabat lingua erudit, unde mirum in modum eidem conciliati sunt, alitantes ex indigena sermone & amantes aliquid suum in Principe. Hæc auta laurus germinauit deinde in magnis nepote CAROLO V. & prop nepote MAXIMILIANO II. propagine nunquam sterili, in non degeneres ramos. Lusitant in Austriadum fere omnium labris syrenulæ, sed Angustæ, & archipyriticam exercent innocentem populoru. Vtranque Palladem exhibuit sagatam, ac trabeatam, Præsidem scientiarum, Arbitramque bellorum, unde non mirum, quod deinde cum Iulio Cæsare veterem militiæ, & cū Augusto præscas scientias ad pristinū splendorē reuocarit, & eadem dexterā triumphali, quæ arcæ euertebat, bellicas, ciuilesque artes erigeret. Sed vtranque Cæsarem melius expressit, cùm suarum rerum gestarum commentaria, vtrāque & soluta & illigata numeris oratione,

*Humanoribus litteris insigne eruditus adolescentis floruit.*

tione, historicè poeticeque edidit, sīnūl scribenda faciens, & scribens facienda, sēculumq; aureum, & austriūm literarū recudens. Hinc Apollo dīctus est in Aulā: Mars in campo, oris splendore coruscus, & ardore; sed Mars innocens inter Musas illarum patrōnus, & Apollo gemino arcu filia mouens, ac tela. Scriptili papyro potiori iure, quam Ægyptij Reges coronandus erat, cui & puguantī triumphale IO, & scribenti, ac dīcenti gloriōsum σωστον acclamari posset. Nunquam dignius, quam in MAXIMILIANO Austriaco.

*Cl. de M.  
cons.*

*Maiestas meminit se se Romana loquitam.*

Sed bellicarum laurearum densior etiam silua est, iisque fere obruitur historiographus hic exilis calamus.

1477.  
et. 17.

1478.

*Belgicæ  
reipublicæ  
adminis-  
trationi  
admoue-  
sur.*

*Initiatur  
ad impe-  
rium, &  
in augura-  
tur impo-  
feta Caro-  
ti magis  
corona.*

Éā ètate bella geslit exercituum dūctor, & suo marte, atque auspicijs administravit, quā alij nec rude donantur militis, Imperator, quod olim de magno Pompeio grandi etiam prēconio prēdicatum est, ante militem. Illam siquidem à Patre Pacifico pacem tanti didicerat, quam triumphi patiunt. Adolescens adhuc ex ipsis cum MARIA Burgunda nuptijs Carolo Audace Socero ad Nanceum cæso, Gandaui in Vrbe Flandriæ facile Principe, qnæ supra græcanicas Thebas Herculis exortu, & incunabulis nobiles, CAROLI V. Austriaci Cæsaris & summi Herōis natalibus gloriari potest, ad componendum, firmandumq; Belgicæ Reipublicæ statum non parum Ludouici XI. Galliarum Regis potentia conuulsu, cepit animum adiucere, supra illius ètatis studia molliora, grandium consiliorum, & principalium curarum patientem. Belgicus Leo à MAXIMILIANO primo demitus, secundo MAXIMILIANO imperante, euentilatis, excussisq; apertā perduellione iubis, iugum Austriacum franget. Hinc à Patre Augusto in sortem imperij adoptatus in grauissimo Orbis terræ concilio a Germanis Proceribus de Imperio arbitrantibus, meruit Francofurti adoratum a tot populis Regis Romanorum & Aquitani Cæsaris nomen. Illud autem accidit in ipsâ inauguratione auspiciissimum, quod MAXIMILIANO ea imposta fuit corona, qnæ olim Occidentalis Imperij fundatori Carolo, & potentiâ, & sanctitate Magno, auspicijs tum ad ipsum MAXIMILIANVM, tum ad CAROLVM nepotem, tum ad magnam Germanorum, & Hispanorum Austriadum posteritatem propagatis, Austriâ Gente iam, & Herōum numero, & potentia magnitudine, & æuo felicitatis COROLINGHAM longe superante: Nullum aliud præter MAXIMILIANI Austriaci caput Caroli magni coronam implere potuisset.

Imperator, initiato victoria Turcicâ in Hūgariâ Principatu, veluti è seminario triumphorum tot bellis deinde feliciter confectis, maximum suum nomen laureatum extulit, vt nullus ante ipsum Imperatricis Familiæ tot fuerit laureis coronatus, geminatâ felicitante Regna germinantibus. Visus est feriato dudum Pacifici Patris gladio vbiique fulminare, nunquam ferè non victor vbi pugnare licuit, victis populis, victorias singulis annis, quasi annum tributum pensis tantibus. Populorum de quibus MAXIMILIANVS triumphauit ferè populum inuenio, Gallos, Eburones, Belgas, Sicambros, Batauos, Morinos, Hungaros, Bohemos, Venetos, Heluetios,

tios, Turcas. Ea verò in eius triumphalibus fastis leguntur, quæ famam in pluribus fatigant, circumlatis supra Austriades Aquilas victrices perpetuo volatu per Orbem Orthodoxum victorijs ingentibus. In Belgio Atrebatum Artesia caput expugnatur stratagemate celeberrimo cunctis deceptis: Cameracum Vrbs Imperialis in potestatem redigitur, & simul recipitur magnâ ex parte Hannonia, Gallobelgica Prouincia nobilissima. In Galliâ ad Guinectham Picardia Oppidum ingens Gallorū exercitus fere internecione deletur, victoribus Gallis in prædam migratibus, & in victoriâ propriâ victis, dum eâ præcoci intempestiuè abutuntur. In Germaniâ Philippus Palatinus Septemuir Rhenanæ Prouincia Regulus, & Vangionum Princeps supplex ad Imperia Cæsaris compellitur: Bohemi non procul a Ratisbonensi Vrbe, se, suaq; perpetuâ castrorum munitione tuentes, franguntur. Hungaria magna ex parte victoriosissimis prælijs recuperatur, & ingens Turcarum colluties scythicis etiam copijs, & formidandis Romano Imperio Samothracum, Samogitiorum, Getarum, Gelonorumque populorum nominibus aucta, Carnioliam, Stiriam, Carinthiam inundans, easque igni ac ferro depopulans reprimitur, ac fugatur. In Belgio iterum Carolus Egnundanus Gheldriæ Dux nouis rebus studens, in ordinem redactus, abstinere iubetur ditione Gheldriensi, ac titulo. In Germaniâ rursus grassantes fœdè per eam. Prædones non uno loco, nec uno prælio funduntur, ceduntur, & ipsis suis sceleribus spoliantur, fragitorum pretio in triumphales Cæsaris manus bias migrante. In Italiâ demù Veneti tribus bellis atteruntur: Mediolanum è Gallorum manibus eripitur, ac Sfortiadæ Duci restituitur. Ita maximis victorijs, triumphali veluti earum curru inuectus fere totam MAXIMILIANVS peragravit Europam, Orbemque terrarum nobili famâ sui nominis implevit.

Omnes in eo, Herōem cum Imperatore miscente, herōicos numeros, Cæsareosq; duo proximè superiora sæcula suspexerunt, beatissimo quodā omnium bonarum artium, virtutumque temperamento; vt dubium reliquerit sapientior ne esset, an fortior, an melior, primas ne daret bonis artibus, quas in delicijs habebat, an virtutibus armatis, pacatisque, castrenibus, & urbanis, quæ ipsi in amoribus erant. Vulgatissimum est illud de Sylla Elogium, licet Cæsarianum, ac minimè vulgare, ipsis dicentis nobilitate, supra argumenti laudem, alio fere dignum elogio, Syllam plures in se Marios, cum suis septenis triumphis collegisse. Ausim ego hoc prædicare in MAXIMILIANO non de Marijs, sed de Cæsaribus ipsis. In Romanis annalibus magnifice celebratur in Caio Julio Cesare felicitas, liberalitas in Augusto, in Traiano fortitudo, in Antonino pietas, in Tito mansuetudo, in Marco Aurelio sapientia, in Constantini, Carolis, & Ottonibus magnitudo innitata virtutis. Ex omnium istorum Cæsarum laureis visus est Maximilianus frondes legere, quas sue infereret, & Martis Pullis cum Caio Julio Cæsare, & Pater Patriæ cum Augusto, & Amor generis humani cum Tito, & Optimus cum Traiano, & Pius cum Antonino, & Sapiens omniumque litterarum Princeps cum Aurelio, & cum Constantini, Carolis, atque Ottonibus ubique Magnus, nisi velis etiam

Ab omniū  
fere lau-  
dum titu-  
lis cōmen-  
datur.

maximum ad sui mensuram nominis. Ea bellicæ felicitatis excellentia floruit, ut nunquam arma ferè posuerit, nisi victor, post domitos hostes de bellis etiam ipsis debellatis triumphator, tantumque terrorem hostibus incusserit, ipsa armorum denuntiatione, ut cum iussu MAXIMILIANI Cæsaris in Belgio bellica tympana ad legendum nouum militem personarent, ferant dixisse Ludouicum XI., bellicosissimum alioquin Regem ad illos bellorum præcones, & fecialem sonum, totam Galliam contremiscere. Ea magnanimitatis laude commendatur, ut ubique prouocator fortune fuerit, contemptor, ac victori illi etiam tanquam imaginariæ Deæ per deridiculum augusto supercilium, quo imperium Austriacum sustentabat auditus saepius insultare, nimirum nihil timebat sibi a fortunâ infidelis quam sperabat vinciri posse etiam rebellantem. Et certe fortuna, si eam cōtemnas, vextigalis seruiet; si adores dominabitur tyranna. Aut tenetur, aut tenet, nisi despicias, suspicies, transuersunque te ager ventosa, ac leuis, nisi generoso spiritu diffles, ipso contemptu victore superandam. Ea liberalitatis famâ celebratur, ut saepe eadem manus quæ triumphatrix ætariū impleuerat, munifica exauriret, & magna victoriæ aliquando abortirent ex defectu militarium stipendiiorum, conceptique triumphi eliderentur in partu. Nefas ducebat Imperatorem populis dominari, & auro seruire, cum hoc sit etiam plebeium in Regibus. Sciebat non minorem famam captari a manu auro, quam ferro armata, cum hæc hostes, illa amicos, & omnes supereret. In Viennensi Principum Orthodoxorum celebri congresu tres Reges, Vladislavum Hungariæ, Ludouicum Bohemiæ, & Sigismundum Poloniæ augustis impensis magnificentissime exceptos diu apud se habuit, dignus Cesar se ipso Cesare opulentiore. Merebatur spolijs Asia, Indico auro, & Darianis thesauris ditari rediuiua, & gemella prorsus in maximo nostro Austriaco, tum ex armatis, tum ex pacatis titulis magni Alexandri, beneficijs non minus victoribus, quam prelijs, triumphatrix Orbis terrarum manus. Plura tamen exceptit domi regna, populosque, quam Reges in Hispanâ Monarchiâ ex nuptijs PHILIPPI filij cù IOANNA FERDINANDI, & ISABELLÆ Catholicorum Regum filiâ in Austriacam Domum inuectâ, tot regnis, populisq; coronatâ. Ad eum demum apicem pietatis peruenit, ut hac omnia veluti nature, ac fortune ornamenta consecrarit, Celoque dicarit. Ansipatus, cum moribundos fere oculos rebus humanis clausisset, ab alio sole, nimirum Eucharistico, Auroram primorum annorum, cum cursum vite tenuit, qui tantam lucem ferret, & non degenerem diem ab aurora illuisti ex tantæ prodigio pietatis. Eadem primigenie pietati cultodiendæ addidit comitem virgineum pudorem, quo duce Imperator (quod miru videri iure possit) fere semper armorum studio exercitus, nullam vñquam passus est spectari a quoquam nudam corporis partem, pulchro rubore decorè perfusus, si quid simile accidisset inuito. Hec purpura venarabilior in Imperatoribus, que non sanie muricis fedatur, sed tingitur colore virtutis. Eadem pietas artes omnes, ac scientias magistras erudiendæ illius magnanime indoli, admovit. Haru scita, & placita, & alia omnia fidissimâ memoria & nunquā fallente dicturum, seruabat, unde nemo illi semel notus, alias deinde no-

ius fuit. Præfecit tandem illi regendæ moderatricem Religionem, quâ solâ Imperatice Imperia stant, & felicitatem, famam, gloriam, victorias alites Cœli Diunas, nimirum prouidentia numinis e Cœlo labentia terrarū fugitiua, & volucria bona apud se sîstunt. Acerrimus hæreſeos hostis in Augustanis Comitijs paucis ante obitū diebus per Legatum Pontificium Thomam Cajetanum ingenio, & purpurâ Principem sui sœculi Eminentissimum, Sumnum Pontificem exorauit ut Germanię laboranti ex lutherana hærefi serpente tunc malo virulento contactu, ac fere moribundæ opē ferret, se omnia imperata etiam cum imperij ipsius impêdio, vti pâr erat, facturum.

Hac nobili clausulâ MAXIMILIANVS I. Cœsar Austriacus, dum laureatis litteris à Carolo V. nepote iam Hispaniarum Monarchâ vocabatur letitię communione in partem Maurici Triumphi, in sinu Austriadum Victoriarum, in primo flore felicitatis, ac potentię vitam finiuit sexagenarius, magnâ etatis parte imperio, maiori victorijs, ac triumphis, totâ Cœlo attributâ, ac nominis immortalitati. Imperante MAXIMILIANO Romano Orbi, Austria felicissimis coniugijs, fatalem ferè dixerim faustitatem in Austriacam Familian ferentibus, ad omnem Cœli, terreq; cardinem explicata est. Accesserunt primum Austriae, autisque Regnis, & Imperio Germanico ad Septentrionem Belgicę Prouincię dotales in nuptijs MARIAE Burgundæ cum ipso Cœsare, & eodem iure communiali Burgundia ad Occidentem; tum partim ad Orientem, partim ad Septentrionem ius successionis ad Regna Bohemiae, & Hungariae cum Vladislao Rege stabilitum, deinde Hispana Monarchia & America ad Occidentem & Austrum ex fortunatissimo PHILIPPI Pulchri coniugio cum IOANNA maximorum Regnorum Hérede, cuius ipse MAXIMILIANVS fortunę faber fuerat, additis Hierosolymorum, vtriusque Sicilie & Sardinie Regnis atque Insulariā ad Orientem, & Austrum. Tandem CAROLO nepoti nubente Isabellā Lusitanā, prima Lusitanici regni, indicorum Marium, atque orę maritimę, & Insularum Orientis magna affulſere de Cœlo auspicia. Vnde MAXIMILIANVS, pari ferè cum RVDOLPHO I. magno gloriâ, si minus Conditor Austriaci Imperij, saltem Conseruator, Stator, & Amplificator dici meruit, vbiq; maximus. Nomen illi semper pro encomio erit, gerenda simul predixit, gesta enarravit, magnifice in omni apice sonans, docensq; nihil in MAXIMILIANO non maximum esse. Hic totus tuus est MARIA ANNA potentissima Regnatrix, & ideò etiam maximus quia Tuus, siue Paternos, siue Maternos splendores respicias, siue Maritales Monarchę Coniugis sapientiâ, potentiâ, pietate ter maximi, CAROLO quoque V. & FERDINANDO I. ex equo in impetrio succendentibus, dignus, qui nobilissimum inter Tuos locum obtineat. Imò hoc etiam nomine nunquam non dicetur maximus, quod auspicatissimum tuum coniuginm beauit, ac Tibi, Tuorumq; vita simul, & immortalitate donandorum Regiorum non interruptâ vñquam serie Infantum.

*Laudes longe transgressus auitas  
Subdidit Oceanum sceptris, & margine Cœli  
Clausit opes.*

Religio:

Maximil.  
obitus.1519.  
12. Ian.  
33.Cl. de 4.  
Non. conf.

N

MA

# MAXIMILIANVS I.

## Epitaphium.

Hanc molem manibus Austriadum Heroum felicissimi

In mausoleum Cœlo extulit

Magistra manu

Noui Phidiae artifex cœlum.

Exanimes hæ statuæ

Prætoriani veluti fidi milites saxe i

Imperatoris lateri semper adharent.

Ipsa triumphalia trophya lapidea sunt :

Et iure, quia eternarum victiarum simulacra.

Stant gemino titulo victura,

Vincent ævum, quod merentur, & viuent.

Ab his omnibus &cutus Cæsar, silentio laudatur :

Omnes laudes in vnum titulum sepulchri migrarunt.

Turbanatus in morem pyramidis acuminatur tumulus

Et suas, si a sole gloria, illustretur,

Consumit umbras.

Ne tamen putas sepulchram hanc molem

Mortis carcerem esse :

Mæta est felicitatis.

**MAXIMILIANUS FRIDERICI Pacifici Augusti filius**

**Primus Austriadum viuente Patre Imperator,**

**PHILIPPI I. Pulchri Hispaniarum Monarchæ Pater,**

**CAROLI V. & FERDINANDI I.**

Magnorum Cæsarum Aius,

Impleta sui nominis magnitudine maximus

Gallicis, Belgicis, Venetis, Insularicis

Bohemicis, Helvetijs, Pannonicis, Turcicis victorijs,

Aequo vitor Heros, & invictus,

Burgundia Provincia, & Regno Belgico

*Austria*

*Austriæ Imperatrici additis,  
 Explicata ad omnes Orbis partes  
 In Hispana Monarchia Austria regnatrice,  
 Cum non haberet plus ultra felicitatis in terris, quò tenderet  
 Hic stetit,  
 Unde Cœlum intraret,  
 A Cœlo vno tanto m hoc lapide distans.*

## SYNOPSIS GENEALOGICA A MAXIMILIANO I. AD CAROLVM V. MAXIMVM.

**P**rimæ MAXIMILIANI Cæsaris nuptiæ cum M A R I A Bur-  
 gunda fuere Caroli Audaci filia non degeneris animi, tibi cognomine  
 MARIA ANNA & felicissimi tui coniugij Auspice. Obiit fortissima  
 Amazon digna Carolo Parre, MAXIMILIANO coniuge,  
 PHILIPPO filio, CAROLO, & FERDINANDO nepo-  
 tibus, tofaque quam ipsa dedit Austriadum Heroica posteritate ex amore pudici-  
 tæ, cùm nunquam adduci potuisset, vt vulnus, quod ex equi casu inter venandum  
 contraxerat, medicis oculis videri, ne dum tractari manibus pateretur. Nullius for-  
 titudinis laurea in Austriaca Domo, alras radices non haber, si tamen tellus lauros  
 nutrit, quibus hæc cælestia facta, ferti citra Ariadnæam fabulam stellanti digna, co-  
 ronet. Secundas iniit cum BLANCA MARIA Galeatij Mariæ Sfortiæ Ducis  
 Mediolanensis filia, quæ quadringenta aureorum nummum millia dotis nomine tu-  
 lit, maiori tamen formæ incredibilis pretio, & virtutum omnium muliebri mundo  
 dotata. Anna deinde Ioannis ultimi Britannæ citerioris Regis filia vñica, despon-  
 sa tantum fuit MAXIMILIANO, sed a Carolo VIII. Galliarum Rege Cæsa-  
 reis nuptijs prærepta, repudiata prius MARGARITA ipsius Cæsaris filia. A  
 M A R I A pudicissima, & fortissima Heroina Austriacis fastis hæc tria magna nomi-  
 na data sunt.

PHILIPPVS I. PVLCHER.

FRANCISCVS PRIMVS.

MARGARITA IV.

Franciscum I. Parentum simul amorem, & dolorem, a vita limine, quod vix salu-  
 tarat, quadrimestrem proximus tumultus exceptit, neque enim sèpe multum vita  
 primus lapis ab ultimo distat. M A R G A R I T A primum Carolo Delphino, Lu-  
 douici XI. Galliarum Regis filio desponsa, tum Ioanni F E R D I N A N D I Ca-  
 tholici Regis filio nupta, eodem nuptiali anno coniugij, & vita vinculis soluto, de-  
 dum Philiberto II. Sabaudia Duci, quem inter suos fortissimos Heroes numerat  
 serenissima Domus Philippi II. filium. Regnantis nunc Principis Abpatrum a Perol-  
 do Saxone vigesimum sextum. Tandem vidua, Belgarum usque ad mortem Gu-  
 bernatrix summa probitatis, & prudentiæ laude floruit. PHILIPPVS I. com-  
 muni cum F R I D E R I C O III. Austriaco Cæsare cognomento a formæ dignita-  
 te Pulcher, pari cum Tito imperatore titulo a pulchriori mansuetudinis, aliarumque

virtutum formia Amor generis humani, & Delicium Orbis Terrarum, primus magno Philippo nomini, quod in ipso nascebatur, Augustæ genti & Austriae Imperatrici in Hispania Monarchia subdidit Orbem terrarum. Austriae pulcherimum pulchra Coelum sex liberorum prole beavit ex IOANNA FERDINANDI & ISABELLAE Catholicorum Regum filia ( vtroque Orbe magnum titulum deferente ) & unica Hispanæ Monarchiæ hærede. Eorum nomina hoc ordine adscripta Genealogicis Austriae familiæ fastis leguntur.

CAROLVS V. Maximus Cæsar.

& Hispaniarum Monarcha.

FERDINANDVS I. Cæsar.

ELEONORA.

ISABELLA VIII. sive ELISABETHA.

MARIA.

CATHARINA posthuma.

Sed quia nihil est ex omniparte beatum, & hæc est pæna mortalibus imposita, ut omnis pulcritudo breui contabescat, in flore ipso regoatricis vita, PHILIPPVS Pulcher desfloruit in Coelum transcriptus, ubi ipsum felicitatis Regnum sub florido Paradisi nomine vernal. CAROLVS, ac FERDINANDVS Magni nominis Cæsares, salutaresque non Germanie tantum, & Hispania sed Orbi Orthodoxo Diocorsi, quorum secundus primo in Imperio successit, adhuc superstites in maximis FERDINANDIS, & PHILIPPIS regnant.

Vnanimi Fratres quorum mare, terraq; fatis

Debentur.

Addita est Castori, & Polluci Austriae Coeli non via, sed quadruplex Helena, è Pulchro, & Pio Parente, pudicissimæ formæ. ELEONORA Portugallæ, & Franciæ Regina, primum Emmanueli Lusitano, tum Francisco Gallo Regi nupsit. ISABELLA Regina Daniae Christierni II. Dani Regis vxor, fidissima comes exilij maritalis, illustre fidei coniugalis exemplum publicauit. MARIA Ludouico Hungariae, & Bohemiae Regi ex inclita Iagellonica stirpe matrimonio iuncta, eo mortuo Belgiam Rempublicam cum summa laude administravuit. CATHARINA posthuma prius despensa Friderico III. Saxoni Septemviro, tum zelo Religionis Orthodoxæ, quæ principalis amor, & cura Austriae Heroinarum est, abrupta omni coniugij spe Ioanni III. Lusitanæ Regi in matrimonium est elocata. Sed iam excipe MARIA ANNA CAROLVM tuum glorioissimum de quo ex ipsis PHILIPPI Pulchri, & IOANNÆ Hispanæ nuptijs occini potest paucis mutatis in melius, & verius oraculum.

Carolus è pulchra nascetur origine Cæsar,  
Imperium Oceano, famam qui terminet astris.

Virg. 12.  
Anni.



IMPE-

